

Philosophis & Grammaticis laqueum mandant.
Apud eos enim arbores loquuntur & homines
sunt. Notum illud Theocriti,

Ἀλλήλαις λάλεοντι τεὸν αἰ κυπάρισοι.

Ipsi homines contra sonant: & ut cum Apul. lo-
quar lib. 3. Flor. edere aliquando videntur *muto-
rum animalium immeditatos sonores.*

Loquiturque nihil sine voce] Quomodo vox, seu
φωνή, propria animali, formetur, elegantibus
versibus expressit Alcimus Avitus, quos ascrip-
sisse operæ pretium fuerit:

Flexilis arctatur recavo sic lingua palato,

Pressus ut in cameram pulsantis verberare plectri,

Pulsato resonet modulatus in aëre sermo.

Additur & tenui pascendus ab aëre pulmo,

Vt concepta trahens lenti spiramina flatus

Arripiat, reddens, reddat quas sumserit, auras

Perque vices crebro pellatur anhelitus haustu.

*Volatque absque ope pennarum, & graditur sine cruri-
bus ullis*] Ut mutorum animalium variæ sunt dif-
ferentiæ, ita quædam desumitur ab instrumen-
tis, seu partibus quibus motus eorum secundum
locum peragitur. Unde alia moventur pedibus,
seu cruribus: quædam alis: nonnulla pinnis ex
Arist. alia sine ullo horum. Quæ pedibus mo-
ventur, coincidunt cum terrestribus, gressili-
bus, & animalibus perfectioribus. Organisa-
tio enim perfectionem arguit. Merito igitur
perfectiora animalia, ut hominem, pedibus lo-
co moveri comparatum est. Terrestribus vero